

NASCITUR PURPUREUS FLOS



BRUNO
QUERFURTENSIS

Edidit, in linguam Bohemicam vertit,
commentariis auxit
Marie Kyralová

Epilogus Jiří Sláma

P R A G A E

2 0 1 7

Passio
sancti Adelberti,
episcopi et martyris

(I.)

Nascitur purpureus flos Boemicis terris, maior filius ex parentibus magnis, aureum pomum processit e nobilibus ramis, progreditur pulchra facie sed pulchrior spiritu Voicechus puerulus, quod nomen interpretatum sonat consolatio exercitus. Pater eius erat vir magnus et praepotens, substantia eius integra, possessio diffusa. Est ei mortalium felicitatum copia, sub se positorum hominum unda, familia multa perstreps, argento et auro plena domus.

Cum esset dominus terrae, fuit tamen mediocris homo: oratio rara sed habitaverat secum misericordia bona, neglecta castitas et larga pauperum cura. Mater ex genere Sclavorum erat nobilissima caro, digna iugalis iuncta digno marito, marito videlicet qui tangit reges linea sanguinis, quem longe lateque iura dantem hodie tremunt populi, Henrico regi accessit proximus nepos. Femina, aiunt, casta moribus, plena elemosinis, fidem loquens operibus nobilitati suae pulchrum responsum dedit, sed discipula virtutis bene fit rea custos fratris. Nam dum zelat zelo castitatis, dum fit familiarius famula orationis, dat viro occasionem peccandi non cum una sed cum feminarum turba. Bonus pater sed melior mater, optimus qui nascitur ex ipsis.

Annos ter ternos in arena studii palestram exerceat ingenii, effodiens terrae cordis obtusos sensus, contra ignorantiae densam noctem praetendit scientiae diem. Post capella regis magistrum tulit, scola dixit: Sat prata biberunt! discipulorum divisa manus certas sedes domosque revisant. Repatriat novo nomine Adelbertus, portans secum dulces sapientiae liquores, dat caris parentibus visus filius gaudium magnum. Hoc toto tempore adeo lascivus erat ut homo, incubat terrenis deliciis, vacat puerilibus iocis, querens cibum et potum ut pecus incurvat vultum, nescit cernere caelum.

Moritur interea Boemiae provinciae episcopus; et si est ut audivimus, coram astantibus desperata voce testatur, quod ab nigris spiritibus inmundis ad tartareum chaos incaute portatur. Praesens enim erat tunc Adelbertus, unus extrema videntium et verba morientis aure audientium. Quem, ut ipse post abbati in monasterio dixit, visionis illius magnus horror invasit et ad primam salutem direxit. Exinde emendare mores, frena ponere animis, desideria carnis igne divini amoris excoquere coepit.

⟨ VIII. ⟩

Conveniunt dux terrae et maior populus, et pro eligendo pastore varias sententias ducunt; omnes tamen ad ultimum manus levant, aera clamoribus implent: non habere meliorem, nec alium oportere esse suum episcopum, quam indigenam Adelbertum, cuius nobilitas, dvitiae, alta scientia et placabiles mores cum tanto honore concordarent. Ergo in haec verba levatur terrae episcopus, mutata mente pius Adelbertus. Hac ipsa die ubi erat episcopium, audientibus multis, locutum est daemonium; cum presbyteri sacris imprecationibus urgerent, ut exiens de homine possesso daret honorem Deo vivo: Quid mihi molesti estis? inquit. Vae satis est mihi! Amplius hic stare non possum, quia electus hodie est populo terrae episcopus quem valde timeo, christicola Adelbertus. Sic ait, et quasi citius dicto cessit daemon impudens Spiritui sancto et ut flagello fugatus exivit homine sano. Cui rei homo qui hora illa praesens erat, Willico quidam, bonus clericus et sapiens, visibile testimonium asserebat; quod nos et legimus, cum ad abbatem nostrum hoc scripto folio mandaverat. Ipsum episcopus Adelbertus suae ecclesiae praepositum habuit, post super cordis arida flante Spiritu sancto, nobilem monachum mons Cassinus recepit.

⟨ IX. ⟩

Igitur electus episcopus auricomam Italiam vadit; quem obesae clusae artas vias egressum prima civitas Verona recepit, quae in fauce regni pulchre levat